



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Fuga seculi, quàm sit necessaria, & abstractio vitæ quomodo sit sectanda.  
Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

cepto, præter vocabulum & nominis expositionem ( quæ in ore & prædicatione est omnium ) pene nihil retinimus. Per vniuersum mundum, paucis tuis amicis exceptis ( qui mundo sint fabula, opprobrium, & derisio ) secundum carnem tantum vivitur, quasi quicquid benedicto tuo ore nos tu, aut spiritu tuo per sanctos seruos tuos docueris, tunc impleuerimus, tuncq; tibi sit satisfactum, si hoc ipsum quod docuisti, quod iussisti, quod præcepisti, intellexerimus, indeq; coram alijs hominibus didicerimus loqui, licet nihil horum quod abs te doctum aut præceptum est interea facientes.

*Fuga seculi, quam sit necessaria & abstractio vitæ quomodo sit sectanda.*

## CAPVT II.

Ioan. 5.

Gen. 6.  
Fuga seculi  
quam sit ne-  
cessaria.  
Gen. 11.  
Gen. 19.  
Psal. 54.

Hier. 47.  
Hieron.  
Mundus  
quomodo lo-  
sit fugiendus.  
Rom. 8.  
Ioan. 16.

Vitæ abstra-  
ctæ agenda  
quæ.

**S**I sanctus Apostolus Ioannes mundum vniuersum ( vt eius vtar verbis ) in maligno suo æuo dixerit positum, quid modo de eodem seculo indies degenerante, indiesq; corruptiore sentiendum est? Videmus certè labefieri quotidie magis omnia, adeò, vt quæ olim lutea quædam videbantur, hodie si reperiri possent, præferrentur auro. Cum ergo vniuersæ sit carnis vitæ corrupta, quid agendum tibi est aliud, iuxta spiritum viuere cupienti, quam vt cum Abraham fugias de Hur Chaldæorum, fugias de terra & cognatione tua, recedas cum Loth de Sodomis, elongaris cum Dauid in solitudine, cum Paulo & Antonio recedas in desertum, cum Arsenio audias inter aulicos constitutus angeli vocem: *Fuge, tace, quiesce*: hoc est, cum in mundo centum qui te malæ vitæ exemplo, verborumque contagio corrumpant, & ne vnus quidem interim qui te ædificet, quiue malorum exemplaria sectantem teruocet inueniatur: quid, inquam, aliud restat, quam vt fugias de medio Babylonis, saluesq; animam tuam, idq; potius fugiendo ( quod diuus docet Hieronymus ) quam temere pugnando. Fugias autem mundum non corpore, ( Quo enim ires extra mundum? ) sed consuetudine & conuersatione, si paucis hoc verbis dici oportet. Necessè est vt abstractâ agas vitâ à cõmuni aliorum hominum vitâ, potissimum qui eiusdem nõ sunt propositi sequestratus: quamobrem si quid tibi sustinendum fuerit ( sint probra, sint derisiones, ) à mundo te scias sustinere, qui Christi spiritum non habet, nec potest accipere. Fugas igitur mundum, hoc est, à corruptione hominum te subducas, & abstractam solitariamq; vitam agas, vbi quod te scandalizet non videas, vbi non audias adulantem, vbi inuidentem non sentias, vbi denique tibi neminẽ habeas obstrepentem. Erras si inter pocula sobrius, si in conuiujs abstemius, si pudicus inter foeminarum greges, si inter garrulos perseverare taciturnus velis. Solitudinem igitur eligas necesse est, vbi Christo viuas absconditus, & nemo sit qui sanctum tuum propositum, aut carpat, aut rideat, aut impediat, aut etiam inturbet. Solitudinem, inquam, eligas iuxta tui status conditionem, vt quicquid à Deo te abstraxerit, quicquid à Deo te impedierit, remoraturue ad eundem accessum, hoc quantum potes & licet, à te proficias.

*Modus statusque strenuè Deo seruiendi vt sit necessario cuique deligendus.*

CAPVT